



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Sanctorum Joachim Et Annæ Geneseos, Vitæ, Transitus Et Connexorum

Polius, Jacobus

Herbipoli, 1652

2. Invocatio supremi numinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43946

Pars I. Historiæ

meum ad confitendum Domino, mentem pariter aptabo & calamum, laudes Beatissimæ Matris Anna, quâ possum devotione cantabo.

2. De gloriâ hominum, ex honore parentum, alibi ^d actum est: obsequendo itaque monito Sira-
cidis præliminari, ducatum aliorum sequen-
tes, loqui ordimur, Ruth. 2. cap. Moabiditis ex-
emplo, metentium in agro Dominico gressus in-
sequendo, ut spicas, quæ forte metentium sub-
terfugerunt manus, aut etiam de industriâ ex pa-
tris familias voluntate fuerunt relictæ, colliga-
mus, & in singulos coaptemus manipulos.

^d Exegetici de S. Anna historici c. 1.

Invocatio supremi numinis §. 2.

Sumite materiam vestris qui scribitis aquam
viribus, canit Poeta ^a. Causa quam adorna-
mus res gravis est, quocirca supra benedictam
veneror Triadem, solem æternum, ut ejus coru-
scantibus radiis, veritas intellectuali oculo
omnium plenissimè illucescat. Deus Pater cæle-
stis primum mihi invocandus est, ut qui per fi-
lium suum JESUM ex sponsâ virgine incarnatum,
^b in plenitudine gratiæ hominibus apparuit, pa-
rentelæ quoque ejusdem notitiam plenior
fidelibus affulgeat. Invocandus est mihi JESUS
ipse, ut eosdem parentes, ex quibus homo factus
est, laude condignâ prosequar: nam talis in pa-
rentes affectus, pietas in filium est. ^c Interpel-
lan-

^a Horat. de arte poetica.

^b Exegetici c. 1. Plenius.

^c S. Bern. homil. 4. super Missus est.

landus quoque S. Spiritus unus cum Patre & Filio individuus Deus, qui à Sanctis Joachim & Annâ, sterilitatis removit obstaculum, intemeratæ filiæ virginis uterum suo complens spiramine, usus potestate Creatoris, benedictum fructum **JESUM** super sedem David posuit. Tu demum Regina Cælorum, materque **JESU** & virgo sacra dignare me laudare te, atque isto in ordine eundem spiritum sanctum, qui pectusculum tuum superveniens, sacrosanctæ Trinitati consecravit, pro nobis exora, ut mentem nostram collustret in hoc argumento, omniaque parentibus tuis digna commonstret, quo eorum laus in te resultet integrior.

2. Alii, inquit S. Hieronymus, offerunt in templo Domini aurum, argentum, pelles hyacinthinas: alii piles caprarum & falsâ molâ litant, ut in proverbio est, qui thura non habent; atque interim non tam qui potum vini aut aquæ liquorem ad motâ operâ calefactæ, quam etiam ipsa veritate attestante, ^d qui calicem aquæ frigidæ Christi discipulo offert, mercede donabitur. Perplacuerunt quoque pauperulæ viduæ æra minuta duo: is itaque cæptis aspirabit, cujus causa præsens quantulacunque opella adornatur.

^d Matth. 10.

*Ob quas personas hæc genesis
adornata sit §. 3.*

E Gredimini filie Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.²

B 4

sua.²